









AN CONDITIO <sup>1735 420</sup>  
QVAE PROPTER CASVM <sup>7C</sup>  
IMPLERI NEQVIT <sup>10</sup>  
PRO IMPLETA HABEATVR

AD CONCILIANDAS LEGES ADVERSAS  
XXXI·D·DE CONDIT·ET DEMONST·ET LIV·§·I·D·DE LEG·I

P R A E S I D E

CHRISTOPH·LVDOVICO CRELLIO

I·V·D

INSTITVT· IVSTIN· PROF· PVBLICO

ET

COLLEGIORVM IVRIDICORVM VITEMBERGENSIUM  
ASSESSORE

D· SEPT· A· Q· S· P· EST· c1735 CCXXXV

IN AVDITORIO ICTORVM

DISPVTABIT

IOANNES DANIEL PVSCH

TORGAVIENSIS

FRANCOFVRTI & LIPSIAE

c1735 CCLVII

[2½]



AN CONSTITIO  
CVAR PROPTER CASAM

PRO HUBERTA HABITATVR

CHRISTOPHORUS DE JOO CANTALIO

INSTITVTI IN REPT. SVBICO

ASSISTENTIA


IN REPT. SVBICO

IN REPT. SVBICO

LIBRARI







I

HEREDES AMORE DELIGVNTVR

**F**ERE testatoris NON INTEREST, ad quem bona eius post mortem deferantur. Hinc naturalis ratio ignorat TESTAMENTA. Quae enim est sollicitudo, de illis rebus constituere, quarum nullus in te sensus erit, et quae tunc demum euenient, cum tu desieris de humanis negotiis gaudere. Recte igitur peregrinis, cum quibus tamen omnia, quae ex iure gentium descendunt, communicata sunt, iuris Romani interpretes potestatem testamenti faciendi detraxerunt. Enimuero ad rempublicam bona pertinent, quae priuatis, postquam fato suo defuncti sunt, usui esse, et uoluptatem parere non possunt. Rectius a republica deliguntur successores, quos sua necessitas, aut magna utilitas ciuitatis, aut etiam gratia commendat: ut uiuis potius accessionem fortunarum, & commoditatem conditionis lautioris, quam mortuis, acceptam ferant

Sed Quiritibus tamen, qui sui iuris erant, liberaliter leges nostrae concesserunt, ut ipsi suo iudicio sibi deligerent heredes. Quod ius uideretur esse ridiculum, et grauitate hominis indignum, nisi quaedam ingenia blandissime afficerentur,



rentur, dum prospiciunt, se AMICIS suis, si uiui omnino nequeant, certe morte sua et iudicio suae uoluntatis profuturos, igitur, ut discant rebus suis parcere, quas aliquando ad amicos suos, suo iudicio delectos, peruenturas esse sciant, utque morituri etiam de amicis, quos fides et consuetudo cum ipsis coniunxerat, mereri possint, ius testamenti faciendi ciuibus tributum. Certe inuuliter heres institutus uidebatur, quem non AMORE et iudicio electum esse apparebat. Optime TIBERIVS, non adeundam sibi hereditatem esse censuit, nisi cum amicitia illam meruisset.<sup>a)</sup> Quod ius etiam ad priuatos pertinere VLPIANVS credidit, et negauit ualere institutionem, si testator signo quidem manifesto, et indubitabili, quod uice nominis fungatur, sed quod tamen CONTUMELIAE CAUSSA addi solet, heredem designasset, *l. 9. §. 8. D. de Hered. instit.* cum, qui hoc nomine heredem instituerit, non amoris, sed contemptus causa instituisse uideatur. Recte etiam ueteres, donec IUSTINIANVS *l. un. C. de his, quae poen. nom.* hoc mutaret, infirmarunt uoluntatem testatorum, qua POENAE nomine, et coercendi heredis gratia, cum probro et contumelia heredis,<sup>b)</sup> cuiquam aliquid reliquerant, aut hoc titulo hereditatem heredi primo ademerant, illamque transtulerant in alios heredes: cum appareat, non AMORE illorum, in quos bona transferantur, sed odio heredis, adiaci, quae poenae nomine a testatore relinquuntur. Probe THEOPHILVS hoc intellexit, qui, dum legata poenae interpretatur, legata quidem, ait, ex AMORE et beneuolentia, *ἐννοία καὶ Φιλία, ἔ μίσει τῆ κληρονομία*, non ex OUDIO heredis, debere proficisci<sup>c)</sup>

Ex

a) TACIT. Annal. Cap. XLVIII.

b) BYNKERSHOEK de Legatis poenae, Cap. IV. Opusc. P. II. pag. 281.

c) THEOPH. ad §. ult. I. de leg.



Ex eodem fonte deriuatum est, quod nec CAPTATORIAE institutiones, quae lucri magis, quam amoris, studium proderent, ueteribus omnino probarentur. Sed illas duntaxat PAPINIANVS l. 70. D. de Hered. instit. admittendas esse censuit, quae MUTVIS AFFECTIONIBVS prouocarentur. Recte igitur PAVLLVS l. 71. D. eod. tit. credit, ualere testamentum, in quo Titius heres scriptus est ex eadem parte, ex qua ipse antea testatorem instituit heredem: modo institutio magis in PRAETERITVM, quam in FUTVRVM sit collata, magisque ex compensandi, quam prouocandi, studio enata uideatur.<sup>a)</sup> Graeci etiam interpretes<sup>b)</sup> confirmant institutiones *χάριτι ἀμειβομένας*, quibus GRATIA REPENDITVR: quod inprimis pertinet ad officium hominis ingenui et liberalis. Ex quibus rebus intelligitur, ueteres omnino in testamentis occasionem REFERENDI GRATIAM et tribuendi beneficia, non materiam exercendorum odiorum aut lucri aucupandi, quaesiuisse. Hoc enim adduxit eundem, quem modo appellaui, PAVLLVM, ut l. 58. §. 1. D. de Hered. instit. putet ualere institutionem, si ille, qui FRATER non sit, sed fraterna caritate diligatur, cum uero nomine, sub appellatione FRATRIS heres institutus sit. Quamuis enim testamentum, quo quis illum quasi cognatum, qui non sit cognatus, heredem instituerit, errore testatoris uitiatur, l. 4. C. de Hered. instit. tamen PAVLLVS censet non errasse testatorem, qui fratris nomine amicum instituerit; sed FRATRES etiam caritate debgi, illamque institutionem uideri profectam ex AMORE, quo omnis auctoritas et neruus ulumarum uoluntatum inprimis continetur

A 3

II CON-

a) CUIAC. ad Lib. VI Resp PAPIN. in l. 70. de Hered. instit.

BYNKERSH. de Captar. Instit. Cap II. f.

b) BASILIC. LXXXV. Tom. IX. Cap. LXX.



## II

## CONDITIONES INSTITVTIONVM ODIOSAE SVNT

**I**GITVR heredes AMORE atque caritate eliguntur. Sed quia ex occultis fontibus subinde hominum beneuolentia nascitur; receptum est, etiam sub **CONDITIONE** a testatoribus recte institui heredes. Certe ignoscendum fuit benefico amico, qui, dum heredem optauit, experiri uoluit muruam eius, quem instituit, amici uoluntatem, aut ipsi occasionem dare, ut, post mortem suam, luculento indicio comprobet amorem et studium in testatorem: Neque accusandus est testator, qui, dum heredi consuleret, etiam aliis amicis prospicere uoluit, apposita conditione: aut qui, propter obscuras consilii sui rationes, rem casu commisit. Ex his enim fere causis, enatae sunt **CONDITIONES** institutionum. Enimuero, quandoquidem Ciuili iure constitutum est, ut, **VTI** paterfamilias de rebus suis **LEGAVERIT**, **ITA** **IVS** ESSET inter testamentarios heredes; placuit, illos, relictam testamento hereditatem adituros, a praetore cogi, ut agnoscant iudicium defuncti, eiusque uoluntati obsequantur. Audiamus **VLPIANVM**, qui *l. 19 D. de Condit. et demonstr.* itemque *l. 35. §. 3. D. de Hered. instit.* in **CONDITIONIBVS**, ait, primum locum **VOLVNTATEM** defuncti obtinere, eaque regi testamentarias **CONDITIONES**, imo uoluntatem defuncti **TOTAM** rem absolueri, et quid ille senserit, spectandum esse: itaque, quod *l. 8. §. 7. D. de Condit. instit.* addit **VLPIANVS**, implendam omnino, **SI POSSIT**, defuncti uoluntatem. Quapropter **CELSVS** etiam *l. 59. §. 6. D. de Hered. instit.* obseruat, si testator ab euentu rerum incertarum uoluerit pendere heredis institutionem, ut, si nauis intra Kalendas ex Asia rediisset, heres esset; nihil peruenire ad heredem, si ille decesserit, priusquam nauis ex Asia reuertereur

Igitur,



Igitur, si fieri possit, obtemperamus uoluntati testatoris, et appositae conditioni. Sed illud tamen expeditum est, ODIOSAS esse CONDITIONES institutionum, et, suadente naturali ratione, potius credendum, uoluisse testatorem, ut iudicium suum exitum haberet, et bona eius peruenirent ad heredes institutos; quam ut excluderentur illi, quos sua caritate suoque arbitrio elegit. Ita VLPPIANVS philosophatur, *l. 2. pr. D. de Condit. instit.* Ait enim, non uideri DEFICERE conditionem, NISI EVIDENTISSIMIS PROBATIONIBVS appareat, uoluisse testatorem, ut hereditas heredi scripto, apposita conditione, auferatur. Quapropter idem ille alio loco, *l. 10. D. de reb. dub.* in AMBIGVIS rebus humaniorem sententiam sequitur; et commodissimum esse docet, illud accipi, quo res, de qua agitur, magis ualeat quam infirmetur. Idem argumentum GAIUS *l. 73. D. de Hered. instit.* persuasit, ut, si interpretatione conciliari possint uerba testatoris, magis credat heredem PVRE, quam sub CONDITIONE institutum. Certe POMPONIVS *l. 27. §. 1. et l. 67. D. de Hered. instit.* si in eodem testamento idem heres modo pure, modo sub CONDITIONE institutus sit, praefereendam esse credit scripturam pleniorum, qua PVRE heres esse iubeatur. MARCIANVS etiam *l. 52. §. 1. D. de Adqu. vel om. hered.* illum, qui solus institutus fuerit, sed ex parte PVRE, et, ex parte alia, CVM CONDITIONE, etiam pendente conditione, ex asse, si adeat, adquirere hereditatem: Cum credibile sit, uoluisse testatorem, ut heres pure succedat ex testamento in patrimonii relictæ uniuersitatem. Non dubito, ex eadem regula iuris deductum esse, quod VLPPIANVS *l. 21. §. 3. D. de Adqu. vel om. hered.* sufficere existimauit, conditionem, quae CASV regitur, QUALITERCVMQVE extitisse, et adquiri hereditatem adeundo, quamuis heres IGNORET, conditionem  
exti-



extitisse: ne aliae ex aliis difficultates oriantur in adimplenda ab heredibus conditione. Imo generatim idem **VLP**IANVS, *l. 17. §. 7. D. ad SCtum Trebell.* si non appareat, utrum extiterit conditio, sed sit suspicio benigna, quod illa extiterit, magis dicendum esse ait, **EXTITISSE** appositam conditionem

## III

IMPOSSIBILES CONDITIONES  
HABENTVR PRO NON SCRIPTIS

**E**x his, quae adhuc disputata sunt, apparet, duram uideri testatoris uoluntatem, quae sub conditione suspendatur: et, si benigniorem sententiam admittat, illam merito in partem mitiorem trahendam esse, aut, si dubia fuerit interpretatio, conditionem pro impleta potius habendam. Quid uero faciemus in herede, cui non dura duntaxat, sed etiam **IMPOSSIBILIS** conditio adiecta. Enimuers ueteres omnino, illos nugari, atque magno apparatu **NIHIL** agere crediderunt, qui impossibilia desiderarent. Illud certe in stipulationibus est obseruatum. **PAVLLVS** enim atque **VLP**IANVS *l. 35. et l. 7. D. de Verb. oblig. CONDITIONEM IMPOSSIBLEM*, quae in faciendum concipitur, stipulationibus ob stare credunt, et quidquid actum fuerit, aiunt **INVTILE** uideri. Neque multum ab impossibilibus **TURPIA** distare **PAVLLVS l. 35. §. 1. D. de Verb. oblig.** atque **IVLIANVS l. 26. et l. 61. D. eod. tit.** iudicauerunt: et infirmam censuerunt obligationem, quae **CONTRA BONOS MORES** contrahatur. Haud multo secus ueteres de conditione **DIFICILI** senserunt: modo ex **NATVRALI IMPEDIMENTO** difficultas oriatur, id est, si generaliter sit difficilis, et impleri commode non possit. Ita enim subtiliter **VENV EIVS l. 137. §. 4. D. de Verb. oblig.** distinxit. Certe **PAVLLVS** atque



atque *VLPIANVS l. 4 §. 1. D. de Statu lib. et l. 55. D. Fam. Hercisc.* condiciones NATVRALITER DIFFICILES, quas NEMO FACILE implere POSSIT, PENE IMPOSSIBILES iudicauerunt, quas ne Praetor quidem raras esse patiatur, sed deferat in decernendo, ut NIHIL ACTVM inter partes uideatur <sup>a)</sup>

Ira quidem uisum est de actibus INTER VIVOS, qui impossibilem conditionem continerent. Sed VLTIMAS defunctorum VOLVNTATES solemus liberalius interpretari. Enimuero condiciones IMPOSSIBILES in testamentis fere pro NON SCRIPTIS accipimus, et teste *VLPIANO l. 3. D. de Condit. et demonstr.* PRO NVLLIS habemus: sed ipsam duntaxat institutionem simpliciter sequimur, quasi *PVRE* heres institutus esset, non apposita conditione. Nimirum probabili iudicio assequimur, non hanc fuisse mentem testatoris, ut in tanto tamque sollicito apparatu, quo ad condendum solemne testamentum se accinxit, omnino *NVGARETVR* et luderet cum testibus, atque *INVTLITER* institueret heredem. Igitur seruamus heredis institutionem ex praesumpta testatoris uoluntate. Sed in ipsa *CONDITIONE IMPOSSIBILI*, quam testator apposuit, nihil impedimento est, quo minus ipsum *LVSISSE* arbitremur. Quapropter impossibilis conditio ita accipienda est, quasi illam NON SERIO noluerit testator impleri ab herede. *Lepide RAEVARDVS* <sup>b)</sup> tradit, institutionem, sub conditione impossibili a testatore scriptam, ideo pro NON SCRIPTA accipi, quasi *MENDVM* potius subesse uideatur scripturae testatoris, aut, quasi a scriba potius male expressa fuerit uoluntas testatoris; quam ut censeamus, *DATA* ipsum

B OPERA,

<sup>a)</sup> Vid. *GERARD. NOODT* de usufructu Lib. I. Cap. XIX.

<sup>b)</sup> *RAEVARD.* de Reg. Iur. ad l. 135. T. I. Op. p. 388.



OPERA, illud quod fieri non possit, ab herede postulasse. Sed non est, quod ad ambages et fictionem scripturae uiciosae recurramus. IOCATVS est testator in conditione, quam sciuit impossibilem futuram, et quasi tentare uoluit solertiam et sapientiam heredis, utrum sciret discernere, quid ab ipso SERIO, et quid PER IOCVM aliquem, desideretur. Solent interdum homines etiam bene in nos animati, et optime de nobis meritori, per iocum tentare constantiam amicorum. Ita Q. FABIVS aliquando cum filio ludebat. Enim uero ad filium Consulem a senatu missus, equo non descendit; sed a lictoribus, iussu filii, submotus, confestim paruit, et: non ego, dixit, fili, summum imperium tuum contempsi, sed EXPERIRI uolui, an tu scires consulem agere.<sup>a)</sup> Igitur IOCANTVR interdum optimi amici, etiam inter serias et graues occupationes, neque tamen ipsum negotium, quod tractant, interposito ioco quodam, uiciari arbitrantur

Quapropter detrahitur heredis institutioni **CONDITIO** impossibilis. Item in **TVRPIBVVS** usu uenit, testantibus **PAVLLO**, **MARCIANO**, et **PAPINIANO**, *l. 9. l. 14. et l. 15. D. de Condit. instit.* Parum abest, quin **INEPTAS** etiam, et derisorias conditiones, tanquam per iocum appositas, neglexerint heredes. Illud enim **VLPIANVS** et **MARCIANVS** *l. 14. §. 5. D. de Relig. et sumpt. fun. l. 13. §. 5. de Leg. 1.* et **ALEXANDER** *l. 5. C. de his, q. ut indign. tradiderunt.* Multa in illam sententiam **V. C. MARQVARDVS FREHERVS**<sup>b)</sup> et **RADVLPHVS FORNERIVS**<sup>c)</sup> cum cura obseruarunt

Satis,

a) VAL. MAX. Lib. II. Cap. II. §. 4.

b) MARQV. FREH. Verisimil. Lib. I. Cap. XXVI.

c) RADVLPH. FORN. Lib. VI. Rer. quotid. Cap. XXIX. in Thef. OTT. Part. II. pag. 311.



QVAE CASV IMPLERI NEQVIT II

Satis, credo, intelligitur, pro IOCO accipi omnino IMPOSSIBILES et frigidas CONDITIONES, salua heredis institutione. Illud tamen meretur obseruari, aliquando opus fuisse Praetoris interuentu, et causae cognitione, priusquam dici posset, heredem, scriptum sub conditione impossibili, non inutiliter fuisse institutum. Interdum enim suspicionem FVRORIS pariebat IMPOSSIBILIS et inepta CONDITIO adiecta heredis institutioni: ut deliberaret praetor, utrum ualeret testamentum, quod, teste LABEONE l. 2. D. qui testam. fac. poss. omnino nullum est, si furore testatoris perturbetur. Tractauit eiusmodi speciem MODESTINVS l. 27. D. de Condit. instit. Nimirum testator amicum sub conditione, SI RELIQUIAS EIVS IN MARE ABIICIAT, testamento scripserat heredem. Sed monet MODESTINVS, antea inspiciendum, ne homo, qui illam conditionem posuerit, NON COMPOS MENTIS fuisse uideatur: Et PERSPICVIS rationibus illam suspensionem esse amouendam docet. Sed amoueri potuisse suspensionem NASO<sup>a)</sup> comprobatur, qui testis est, idem aliquando Achiuos Herculis comites ab heredibus desiderasse:

Saepe tamen patriae dulci tanguntur amore;  
 Atque aliis moriens hoc breue mandat opus:  
 MITTITE ME TYBERI: Tyberinis uectus ut undis  
 Littus ad Inachium puluis inanis eam.  
 Displicet HEREDI mandati cura sepulchri.  
 Mortuus Ausonia conditur hospes humo.  
 Scirpea pro domino Tyberi iactatur imago,  
 Ut repetat Graias per freta longa domos.

B 2

Ex

a) OVID. Fast. Lib. V. v. 653.



Ex quo loco intelligitur, etiam ineptis conditionibus heredes, ultimae uoluntatis ueneratione, imaginario interdum obsequio obtemperasse. Sed, si furoris suspicio amouetur, **MODESTINVS** censet, **CAVSSA COGNITA**, laudandum etiam heredem, qui reliquias testatoris, secundum eius uoluntatem in mare non abiecerit, sed, memoria humanae conditionis, illas tradiderit solenni sepulturæ: neque, si hoc fecerit, heredem scriptum controuersiam passurum a legitimo herede

Nemo igitur dubitat, si furoris suspicio non subnascat, contemni **IMPOSSIBILES** et **INEPTAS** etiam conditiones institutionum. Sed plerumque tamen, si quid tale incidat, **PRAETOR** desiderabit, atque **CAVSSAE** aliqua **COGNITIO**, ut constituatur, utrum sit omnino impossibilis et penitus inepta conditio, quam testator uoluit ab heredibus impleri. Caue enim existimes, semper heredis esse iudicium, utrum implenda conditio, an contemnenda uideatur. Enimuero de quibusdam Praetor **SIMPLICITER** edixit illas **IMPOSSIBILES** aut **TURES** aut impossibilibus proximas uideri. Sed hae quidem, causæ non desiderant cognitionem. Huc omnes illae pertinent, quae **NATVRA** simpliciter impleri **NEQVEVNT**, aut **GENERALITER** a Praetore ob turpitudinem quandam et difficultatem reprobantur: Tales enim docente **VLPIANO l. 8. D. de Condit. instit. IPSO IVRE** pro non scriptis merito habentur. **PAVLLVS** etiam, quae **NATVRALI RATIONI**, et bonis moribus aperte aduersentur, et pietati, quam parentibus iure gentium debemus, aut hominis ingenui officio graues sint, et penitus molestae, simpliciter **REMITTENDAS** esse censet, **l. 9. D. de Cond. instit.** Sed alia ratio ineunda est, si **DVBITETR**, utrum insit quidquam turpitudinis naturalis atque no-  
xiae



xiae difficultatis. Igitur, de his adeundus erit Praetor, ut CAVSSA COGNITA REMITTAT has condiciones. GAIVS enim l. 63. §. 10. D. ad SCT. Trebell. si quis, nomen testatoris ferre ex eius uoluntate, quasi turpius et inhonestius, recuset, adiri Praetorem iubet, ut de hoc COGNOSCAT. Recte enim heredem facere, si expleuerit conditionem, cum nihil habeat difficultatis, assumere nomen hominis honesti. Sed si ex quadam causa heres recusauerit, IULIANVS ait, ipsi subinde REMITTENDAM ESSE conditionem, et permittendas actiones utiles heredi, aut dandam etiam bonorum possessionem secundum tabulas, si uisum fuerit Praetori. Imo uero idem GAIVS, l. 63. §. 7. D. eod. tit. etiam in DIFFICILIBVS conditionibus locum facit arbitrio Praetoris, inprimis, si fideicommissio oneratus fuerit heres sub conditione institutus: cum illud durum uideatur, ad implendam conditionem difficilem, propter fideicommissarii emolumentum, heredes institutos cogi a Praetore <sup>a)</sup>

Haud aberrabo facile a recto, si affirmem, etiam illam speciem, quam tractauit VLPPIANVS l. 6. D. de Condit. instit. pertinere ad Praetorem, et heredi non nisi causa cognita REMITTI. Ait enim VLPPIANVS, cum quis ita institutus sit: si monumentum eius IN TRIDVO proximo post mortem testatoris fecerit: et monumentum in triduo perfici non possit, QVASI IMPOSSIBILEM EVANESCERE CONDITIONEM. Sed quis non uidet, FACTI quaestionem esse, an impleri possit intra definitum tempus conditio, adeoque de illa cum cognitione causae decernendum esse:

B 3

nec

a) Optime illam legem a Criticorum ineptiis uindicanit HENRICVS A SVERIN Repet. Lect. Iuris Cap. VIII. in Thesaur. OTT. Part. IV. pag. 19.



nec tam conditionem institutioni, quam conditioni temporis adiectionem, causa cognita, et iudicio praetoris, detrahendam

## IV

QVID SI CONditio OB CASVM  
IMPLERI NEQVEAT

CONDITIONES ergo institutionum, quod adhuc comprobatum est, omnes videntur ODIOSAE, et, si fieri hoc possit, interpretatione MITIGANTVR: imo quaedam habentur pro NON SCRIPTIS, aut certe, propter insignem aliquam difficultatem, a Praetore REMITTENTVR. Restat, ut de illis exponamus, quae natura sunt possibiles, et, nisi quid ACCIDAT, in POTESTATE sunt heredis. Nostrae artis magistri illas POTESTATIVAS appellare solent. Quarum illae quidem, quae in DANDO, aut in FACIENDO, consistunt, nihil differunt a MIXTIS, quas IVSTINIANVS *l. un. §. 7. C. de Caduc. toll.* excogitavit, et quas tam facto hominis, quam casu quodam, regi arbitrat. Omnes enim CONDITIONES POSITIVAE opportunitatem aliquam desiderant: qua, si careamus, nulla est in nobis praestandi illius, quod a nobis petitur, officii facultas. Enimvero si quis heres scriptus sit, si aliquid DEDERIT, aut si quid fecerit, frustra laborabit, nisi sit aliquis, cui dari possit, aut occasio, illud faciendi, quod ab ipso postulatur. Hae igitur, si CASVS quidam obsistat, quo minus impleri possint, videamus an PRO IMPLETIS habeantur. Eleganter VLPPIANVS *l. 2. D. de Condit. et demonstr.* in eiusmodi conditionibus non FATVM aliquod expectari ait, sed desiderari OBSEQVIVM heredis. Imo vero, si MARCELLVM *l. 23. D. de Condit. instit.* audias, videtur heres voluntati



tati testatoris obtemperasse, SI PER ILLVM NON STETERIT, quo minus defuncto obsequatur. Generaliter enim, ait MARCELLVS, haec conditio, SI DEDERIS, SI FECE-  
RIS, ita accipienda est, SI PER TE NON STETERIT, quo  
minus des aut facias. Abscisse VLPIANVS l. 135. D. de  
Reg. Iur. ea, ait, quae DARI NON POSSINT, quia nemo  
fit, cui illa dentur, IMPOSSIBILIA uideri, et pro non ad-  
iectis accipienda esse. Quae sententia habet rationem: cum,  
si heredis obsequium CASV MERO impediatur atque per-  
turbetur, res ueniat in illum casum, unde INCIPERE non  
potuisset. Fac enim, casum illum, ab initio, cum conde-  
retur testamentum, obtulisse, ut: si testator heredem te  
esse iusserit, si Titio centum dederis, qui iam mortuus erat,  
cum testamentum conderetur. Nemo dubitat, ab initio  
conditionem IMPOSSIBILEM appositam fuisse. Nihil uero  
intererit, ab initio sit impossibilis, an ex post facto in illum  
casum incidat, a quo incipere non potuisset adiectio condi-  
tionis. Vtrumque enim perinde accepit MARCIANVS l. 3.  
§. 2. D. de His, quae pro non script. hab.

Neque multum obluetabantur interpretes, quo minus  
impleta uideatur CONditio, quae FACTO HOMINIS et  
personae impeditur, si heres sit paratus ad obtemperandum.  
In illa enim specie ueteres omnino omnes consenserunt. IAV-  
VOLENS certe, l. 40. pr. D. de Condit. et demonstr. condi-  
tionis, cui heres intra certum tempus parere iussus erat, il-  
los dies non imputari ait, quibus illum uicinus uia publica  
prohibuit, cum ille ire uellet, ut pareat conditioni: cum  
per illum non staret, ut testatoris uoluntati obsequeretur.  
Speciem non multo absimilem tractauit AFRICANVS l. 31.  
D. eod. tit. Testator enim iusserat heredem, Titio centum  
dare, si Seiam duxerit uxorem; Et respondit Iureconsul-  
tus:



tus: muliere NOLENTE nubere, cum ipse paratus esset; legatum Titio deberi, quasi impleta eius obsequio conditione. Eandem regulam iuris IULIANVS *l. 11. de Condit. instit.* secutus est; cum Titius se nollet arrogandum dare filio, quem pater sub conditione arrogationis scripserat heredem: Enimuero heres erit filius, qui adoptare VOLVERAT, quasi expleta testatoris uoluntate. Oleum perderem, si omnes illas species enarrare susciperem, de quibus ueteres in hunc modum responderunt. Vna meretur indicari, quae saepius obuenerit, et de qua omnes in eandem sententiam, in tanta ueterum dissensione, conuenerunt. Titius scriptus erat heres, si statuas in municipio posuisset. Sed SABINVS et PROCVLVS et POMPONIVS *l. 14. D. de Condit. instit.* heredem eum fore responderunt, si paratus esset statuas ponere, quamuis a municipibus ipsi locus non daretur

Ergo constat inter omnes, si FACTO PERSONAE aliquis prohibeatur, ne testatori obtemperet, conditionem haberi pro impleta. Sed de illa specie dubitant, si non tam FACTO hominis uoluntario, quam a CASU potius, et ipsa quodammodo FORTVNA impedimentum aliquod obijciatur, quo minus heres obsequatur testatori. Quidam enim tunc DEFICERE conditionem censuerunt, cum diuino quasi iudicio, et casu heres excludatur. Inter illos eminet NERATIUS, qui *l. 6. §. 1. D. de Condit. et demonstr.* heredem, qui seruos quosdam manumittere iussus erat, quibusdam ex his mortuis, respondit, defici conditione: Neque enim, pareri possit conditioni, an minus, aestimandum esse, sed sufficere, conditionem hanc non existisse. At uero nihil me mouet, quo minus existimem, EXTITISSE conditionem, et EXPLETAM esse, quam CASVS prohibet impleri. Si  
aucto.



auctoritatem veterum desideras, audiamus POMPONIVM, l. 6. §. 1. D. de Condit. et demonstr. qui LABEONEM etiam, et SERVIVM et SABINVM et CASSIVM in partes aduocavit. Adscribam uerba POMPONII, ut plenius intelligantur. „Quidam scripserat testamento: SI FILIA ET „MATER MEA VIVENT, Titius heres esto: SERVIUS „respondit: altera iam MORTVA, heredem non defici „condicione: Idem apud LABEONEM scriptum est. SA- „BINVS quoque et CASSIVS dixerunt QVASI IMPOSSI- „BILES eas condiciones pro NON SCRIPTIS ESSE: Quae sententia admittenda est. Igitur explosa NERATII sententia IMPLETAM censuerunt condicionem, quae morte hominis et casu interuertitur. Idem VLPIANO l. 11. §. 11. D. de Leg. 3. in mentem uenit, cum fideicommissum cuidam ita relictum esset: si MORTE PATRIS sui iuris fuerit effectus: Quamuis enim ante mortem patris emancipatione sui iuris effectus esset, VLPIANVS credit NON DEFICERE condicionem; sed, cum mors patris contingat, QVASI EXTANTE condicione, illum ad fideicommissum esse admittendum. Non dissensit PAVLLVS l. 28. D. de Condit. et demonstr. quamuis strenuus defensor ultimarum uoluntatum. Ait enim, quendam filiae suae ita legauisse, si TITII arbitrato nupserit: sed, MORTVO TITIO, condicionem eius arbitrii exclusam: Itaque filiam nupsisse: sed nihil ob stare, quo minus ei legatum debeat. Occurrunt eiusmodi species complures, quas non uacat omnes indicare. Nemo enim dubitabit, testatorem, qui SERIO uoluit illum heredem esse, quem sub condicione scripserat, sed desiderauit tantum obsequium heredis, ipsi remittere condicionem, si heres CASV aliquo prohibeatur. Enimvero si VLPIANO atque PAVLLO l. 4. et l. 18. D. de adq. uel om. hered. fidem habeas, non uidetur NOLLE, qui

C

NON



NON POTEST: et frustra heredis obsequium desideratur, cum res ipsa impedimento est, ne heres obtemperet defuncto. Certe aequitati Praetoris locus erit, ut conditionem, quae impleri nequeat, heredibus REMITTAT

## V

DUBITATIONES EX LEGE ADVERSA ENATAE  
DILVNTVR

RES non egeret disputatione, nisi illis, quae adhuc enarrata sunt, AFRICANVS *l. 31. D. de Condit. et demonstr.* pertinaciter et grauiter obloqueretur. Ait enim, illi, cui legatum erat sub conditione, SI SEIAM DVXERIT, cum SEIA MORIATVR, deficere conditionem: et legatum non deberi. Contra, POMPONIO uisum est, qui *l. 54. §. 2. D. de Leg. 1.* peti posse legatum docet, si SERVI MORS impediuisset manumissionem, quamuis legato ad scripta esset conditio: SI SERVVM MANVMISSET. Manifesta est dissensio: sed faciamus periculum, an illos reducere in gratiam possimus. Mihi quidem uidetur AFRICANVS de eiusmodi specie sensisse, in qua MANIFESTIS PROBATIONIBVS constaret, testatorem a CASV et euentu nuptiarum, legatum SUSPENDISSE. Enimuero, si illud appareat, non dubitatur, obsequendum esse uoluntati testatoris, qui potuit hanc unicam habere rationem institutionis, ut SEIAE consuleret per nuptias heredis. VLPIANVS enim *l. 2. D. de Condit. instit.* quod supra obseruatum est, monuit, si EVIDENTISSIME comprobaretur, CASV commissam a testatore conditionem institutionis, deficere conditionem, si casus non ex uoto euenisset. Sed POMPONIVS, de uoluntate AMBIGVA, et, si nihil de casu testator addidisset, disputauit, censuitque non facile credi posse, conditionem pen-



pendere ab euentu, sed sufficere, si heres, quantum per se steterit, obtemperet conditioni appositae a testatore. Quod si tibi non placet, non resistam, si dicas, AFRICANVM de iure stricto respondisse, et hanc eius mentem fuisse, quod haec conditio non IPSO IVRE pro NON SCRIPTA habeatur; contra iudicasse POMPONIVM, a praetore CONDITIONEM heredi REMITTENDAM si appareat, sine culpa heredis conditionem PENE IMPOSSIBILEM uideri. Quod quando fieri possit, supra fuit indicatum. Hoc modo si uterque intelligantur, nulla inter AFRICANVM et POMPONIVM controuersia. Alia medicina, quam huic loco adhibeam, non superpetit









WITTENBERG, Diss., 1735

(1,5)

ULB Halle

3

004 701 917



Sl

VD-18











1735 420  
70  
10

AN CONDITIO  
QVAE PROPTER CASVM  
IMPLERI NEQVIT  
PRO IMPLETA HABEATVR

AD CONCILIANDAS LEGES ADVERSAS  
XXXI·D·DE CONDIT·ET DEMONST·ET LIV·§·I·D·DE LEG·I

P R A E S I D E  
CHRISTOPH·LVDOVICO CRELLIO  
I·V·D  
INSTITVT· IVSTIN· PROF· PVBLICO  
ET  
COLLEGIORVM IVRIDICORVM VITEMBERGENSIVM  
ASSESSORE

D· SEPT· A· Q· S· P· EST· c1o1oCCXXXV

IN AVDITORIO ICTORVM  
DISPVTABIT  
IOANNES DANIEL PVSCH  
TORGAVIENSIS

FRANCOFVRTI & LIPSIAE  
c1o1oCCLVII [2½]